

lescentes, & ad conferendum aliquid gravitatis ad eum confessum atque disceptationem. Opinionis autem cum Cicero, tum Plato in primis habuit rationem. Hic enim (Plato nempe) *in Dialogis* suis, Hippiam, Prodicum, Gorgiam, Thrasymachum, cæterosque sophistas, ut erant arrogantes & leves, ita nec de jure suo quicquam alteri concedentes ficit; Socratem autem humanum, comem, nihil sibi, plurimum aliis in ipsa scientiæ & doctrinæ laude tribuentem, ac sophistarum confidentiam atque inscientiam ubique infectantem. Atque eundem quidem Socratem ad disputationem de virtute ac republica, quam ille partem philosophiæ tractatam ac cognitam habuit; ad eam vero, quam de naturæ & mundi procreatione prodidit, Timæum Locrum, quod eo in primis scientiæ studio teneretur, assumpsit. Cicero autem cum Crassum & Antonium de eloquentiæ studio disputantes faceret, eas potissimum partes Crasso dedit, in quibus orator omni cumulatius laude defenditur, Antonio autem, quibus mediocris quidam, & ad forenses tantum, & populares causas tractandas paratus instruitur. Præterea ut Antonio disputationem de inveniendis, collocandis, ac memoria custodiendis rebus attribuit, Crasso de ornandis, ac cum venustate pronuncian- dis, sic Cæsari sermonem de jocis & facetiis, quod his eorum unumquemque florere sive ingenii laudibus, sive doctrinæ compertum haberet: id quod *in Bruto* perspicue demonstravit, ubi de singulis Romanorum oratorum virtutibus secundum veritatem

tatem